

tate. Natura itaque fortior, id est, angelica, inferiorem naturam, id est, humanam, vitii societate subditam tenet. Ideo Mediator angelis fortior, infirmus propter homines factus est : sic superbia captivatoris, Redemptoris humilitate destruitur ; ut qui super filios hominis ¹ angelica fortitudine gloriatur, a Filio Dei suscepta humana infirmitate vincatur.

CAPUT XLI. — 47. Sed jam etiam istum conclusuri librum, oportere arbitramur, ut Ambrosium antistitem Dei, cujus inter latinæ linguæ scriptores ecclesiasticos præcipue Pelagius integerrimam fidem prædicat, sicut de gratia fecimus (a), ita et de peccato originali, in quo delendo ipsa gratia evidentius commendatur, calumniosæ istorum loquacitati respondere faciamus. In eo opere quod scripsit de Resurrectione sanctus Ambrosius : « Lapsus sum, » inquit, « in Adam, de paradiso ejectus in Adam, mortuus in Adam : quem non revocat ² nisi me in Adam invenerit, ut in illo culpæ obnoxium, morti debitum, ita in Christo justificatum » (*Lib. de Fide Resurrectionis*). Item scribens contra Novatianos ait : « Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente David, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (*Psal. L, 7*). Ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom. VII, 24*)? Christi autem caro damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit ; ut in carne nostra esset justificatio per gratiam, ubi erat ante colluvio per culpam » (*Lib. 1 de Pœnitentia, cap. 2, vel 3*). Item idem

¹ Valicauus Ms., *filios hominum*.

² Sic Mss. At editi, *quem revocaret* : minus bene. Apud Ambrosium, *quomodo revocet*.

(a) Vide librum de Gratia Christi, n. 47-53.

ipse cum exponeret Isaiam prophetam loquens de Christo : « Ideo, » inquit, « et quasi homo per universa tentatus est, et in similitudine hominum cuncta sustinuit : sed quasi de Spiritu natus abstinuit a peccato (*Hebr. IV, 15*). Omnis enim homo mendax (*Psal. cxv, 2*) ; et nemo sine peccato, nisi unus Deus. Servatum est igitur, ut ex viro et muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers est delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis » (a). Item cum exponeret Evangelium secundum Lucam : « Non enim virilis coitus, » inquit, « vulvæ virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, et cœlesti majestate depulerit » (*Lib. 2, n. 56, ad cap. 2*).

48. Illis tamen verbis hominis Dei, quem tanto præconio ipse laudavit Pelagius, contradicit, et dicit, « sicut sine virtute, ita nos sine vitio procreari. » Quid igitur restat, nisi aut istum Pelagius suum damnet errorem, aut eum sic Ambrosium laudasse pœniteat? Sed quia ista secundum catholicam fidem beatus Ambrosius, ut episcopus catholicus, est locutus ; sequitur ut ab hac via fidei devius merito Pelagius cum Cœlestio discipulo suo catholicæ Ecclesiæ sit auctoritate damnatus, nisi eum non Ambrosium laudasse, sed contra Ambrosium sensisse pœniteat. Scio vos ea quæ ad ædificationem vel confirmationem fidei conscribuntur, insatiabiliter legere : verumtamen hic liber, quantumlibet sit ad hoc utilis, jam tandem aliquando finiendus est.

(a) Ambrosii opus in Isaiam non exstat.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTES LIBROS DE NUPTIIS ET CONCUPISCENTIA.



Duos ad Valerium comitem libros cum recenseret Augustinus, eos responsioni ad Arianorum sermonem quæ post Gesta cum Emerito locata est, proxime subjunxit. Hæc porro Gesta consignantur anno Christi 418, die 20 septembris. Quapropter subsequentium librorum, saltem priorem aut hoc ipso anno 418 labente, aut incipiente 419, scriptum fuisse nulli dubitamus. Enim vero de priore isto libro ipse Augustinus in libro primo contra duas Epistolas Pelagianorum, n. 9, dicit : « Librum autem meum, contra quem se quatuor libellis respondisse commemorat, post damnationem Pelagii Cœlestiique conscripsi. Quod ideo dicendum, » inquit, « putavi, quoniam iste dicit ab inimicis suis in odium veritatis dicta mea fuisse suscepta ; ne ideo quisquam existimet, propter hunc librum meum inimicos gratiæ Christi novos hæreticos fuisse damnatos. » Quibus ex verbis facile intelligas, priorem hunc librum, damnatis anno 418 Pelagianis, in lucem sub idem fere tempus prodixisse.

Lib. mox ut prodiit, palam reprehendi cœpit a Pelagianis, qui ejus lectione Catholicorum animos in odium illorum hæresis commoveri intelligebant. Inter eos Julianus Pelagianæ hæresis sublevandæ studio ardens, quatuor libris unum illum Augustini statim aggressus est. De his Juliani libris nonnulla decerpsit quispiam, et decerpta comiti Valerio misit. Valerius Ravenna Romam ad Alypium perferenda curavit, ut ipse in Africam reversus, præter litteras quibus gratias ob librum priorem sibi nuncupatum agebat idem Valerius, etiam excerpta illa quantocius refellenda Augustino traderet. Hæc Augustinus ex opere Juliani collecta esse statim percipiens : et quanquam magis vellet illis non ante respondere, quam integrum opus unde fuerant desumpta,

accepisset, tamen sibi festinandum existimavit, ut Valerio comiti satisfaceret. His ergo nulla interposita mora respondens, alterum sub eadem inscriptione de Nuptiis et Concupiscentia librum composuit, quem anno Christi 420 adscribendum arbitramur : quippe cum eum confestim post acceptas de priore libro gratiarum actiones scripserit sanctus Doctor, nec videatur verisimile, Valerium, ut hanc grati animi significationem testaretur, totos duos annos aut plures expectasse.

Valerius autem ille, quem Illustris et Comitibus titulo Augustinus exornat, negotiis publicis implicabatur, non forensibus illis quidem, sed bellicis. Unde non facile adducimur, ut cum viro erudito ipsum illum esse existimemus, qui fuit comes rei privatæ anno 425, consul anno 432, denique magister officiorum sub Theodosio juniore anno 435. Etenim nec ea munera pertinebant ad militiam, nec præfectis Theodosianis quidquam erat eum Honorianis commune.

Vide præterea lib. 2, cap. 53, Retractationum, t. 1, col. 651, a verbis, Scripsi duos libros, usque ad verba, Inter militiæ tuæ curas. M.

EPISTOLA AD VALERIUM COMITEM ^(a),

CUI AUGUSTINUS TRANSMITTIT NUNCUPATUM IPSI LIBRUM PRIMUM DE NUPTIIS ET CONCUPISCENTIA.



Domino illustri et merito præstantissimo, atque in Christi dilectione charissimo filio VALERIO, AUGUSTINUS, in Domino salutem.

1. Cum diu moleste haberem quod aliquoties scripserim, et nulla tuæ Sublimitatis rescripta meruerim, repente epistolas tres tuæ Benignitatis accepi : unam non ad me solum datam per coepiscopum meum Vindemiensem, et non longe post per compresbyterum Firmum duas ; qui vir sanctus, nobisque, ut ab illo scire potuisti, familiarissima charitate conjunctus, multa nobiscum de tua excellentia colloquendo, et veraciter insinuando qualem te in Christi visceribus noverit, non solum eas quas memoratus episcopus, vel quas ipse attulit, sed etiam illas quas non accepisse querebamus, litteras vicit. Et ideo de te narratio ejus suavior nobis erat, quia ea dicebat, quæ ipse non posses, ne quidem me inquirente rescribere, ne tuarum laudum, quod sancta Scriptura prohibet (*Prov. xxvii, 2*), fieres prædicator. Quanquam et ego verear hæc ad te scribere, ne suspicionem adulantis incurram, domine illustris et merito præstantissime, atque in Christi dilectione charissime fili.

2. Laudes itaque tuas in Christo, sive magis in te laudes Christi, vide quid mihi delectationis et lætitiæ fuit audire ab illo qui nec fallere me posset propter fidem suam, et eas ignorare non posset propter amicitiam tuam. Sed alia et ab aliis, etsi non tam multa vel certa, verumtamen audivimus, fides tua quam sit sana et catholica, quam pia expectatio futurorum, quæ Dei fratrumque dilectio, quam non superbæ sapias in excelsis honoribus, nec speres in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, et dives sis in operibus bonis (*1 Tim. vi, 17, 18*) ; quam sit domus tua requies solatiumque sanctorum, et terror impiorum : quanta tibi cura sit, ne quis insidietur membris Christi, coopertus velamine nominis Christi, sive in veteribus ejus, sive in recentioribus inimicis ; quamque sis eorumdem inimicorum providus saluti, infestus errori. Hæc atque hujusmodi, ut dixi, et ab aliis solemus audire ; sed nunc ea per supradictum fratrem plura et testatiora cognovimus.

3. Porro autem de pudicitia conjugali, ut eam quoque in te laudare et amare possimus, numquid audiremus, nisi ab aliquo interiore familiari tuo, qui vitam tuam, non in superficie, sed penitus nosset ? De hoc itaque tuo bono, Dei dono, me quoque delectat familiariter, et aliquanto diutius loqui tecum. Scio me non esse oneri tibi, si aliquid prolixum mitto, quod legendo, diutius sis nobiscum. Nam et hoc comperi, quod inter tuas multas magnasque curas facile ac libenter legas, nostrisque opusculis, etiam quæ ad alios conscripsimus, si qua in manus tuas venire potuerunt, admodum delecteris ; quanto magis quod ad te scribitur, ubi tanquam præsentem loquar, et advertere dignaberis attentius, et accipere gratius ? Ab hac ergo epistola perge ad librum, quem simul misi, qui tuæ Reverentiæ et curæ conscriptus sit, et cur ad te potissimum missus, ipse suo principio commodius intimabit.

(a) Est 200 inter Augustinianas, tom. 2.

